



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **AD PLENIOREM** TEMPLUM PAROECIALE DEO DICATUM IN HONOREM SANCTORUM PETRI,  
MARCELLINI ET ERASMI, MARTYRUM, IN LOCO V.D. «BESANA BRIANZA»  
IN ARCHIDIOECESI MEDIOLANENSI, AD GRADUM BASILICAE MINORIS EVEHITUR Ad perpetuam rei memoriam. –  
Ad pleniorum cum Christo firmandam Christifidelium coniunctionem, libenter quidem occasionem capimus divinum cultum diffundendi atque sacras in toto orbe aedes exornandi. Ideoque, cum Venerabilis Frater Noster Carolus Maria S.R.E. Cardinalis Martini, Archiepiscopus Mediolanensis, cleri populi vota interpretatus, rogaverit ut templum paroeciale Deo dicatum in honorem sanctorum Petri, Marcellini et Erasmi, martyrum, in loco v.d. «Besana Brianza» in archidioecesi Mediolanensi situm, ad dignitatem Basilicae minoris eveheretur, petitioni illi libenti animo obsecundare volumus. Itaque de Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum consultu, Apostolicae potestatis Nostrae plenitudine, statuimus ut sacra aedes ad titulum ac dignitatem Basilicae minoris evehatur, omnibus adiectis iuribus et privilegiis, quae templis hoc nomine insignibus rite competit, secundum Decretum «De titulo Basilicae minoris», die IX mensis Novembris anno MCMLXXXIX datum. Contrariis quibusvis non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die IIII mensis Martii, anno MCMXCVIII, Pontificatus Nostri vicesimo. ANGELUS card. SODANO*

*Secretarius Status © Copyright 1998 - Libreria Editrice Vaticana*

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana